dantur lumina ad ſuppetias nuditatis.

12 Clarior poſt nubila Phœbus, & Iobus. Obſcuratum eſt aurum, ſed non virtus, cuius immutatus color optimus. Venerunt ad eum cuncti, qui noverant eum priùs: & *dederunt ei unuſquiſque ovem unam, & inaurem unam.* Munera ſanè pretioſa. *Ovem unam, & inaurem unam.* Honoraria Principi. Ovis, ſignificat ſubditum: inauris autem eſt auris ornamentum: offeruntur que Regi poſt naufragium ovis ſimul & inauris; in ſigna benevolentiæ, & prudentis regiminis: ſiquidem ad iuſtitiam & ad gratiam unaquæque ovium auriculam debet impetrare Principum. Nemo innocens, ſi ſufficit acuſari. Ideo inaurem unam offerunt amici ad ovem unam. Non omnibus omnes, ſed ſingulæ ſingulis; ne ſpes veritatis amittatur, ubi mendacium dicaciter promitur: & innocens inauditus pateat vulneri, cùm binæ aures dicatæ ſint delatori.

Iob 42. 11.

Audiat Princeps ſubditorum voces.

Sed quomodo?

13 *Ovem unam & inaurem unam.* Dona miranda! Inauris perforat aures, & vexatione nimia balant oves: dicanturque Iobo Principi ovis ſimul & inauris; quia perforare debet auditum Principum, querularum ictibus balatus ovium. *Aures autem perfeciſti mihi*, dicebat Regius Vates. Aliqui legunt: *Perforaſti.* Ne inſtar ſervorum? Documentum eſt Principum: ut ſciant in ſolio, ac maieſtatis gloria; eſtò nobiliora, eſſe publica mancipia. Vide Plutarchum, Eraſmum, & Conradum Lycoſth. in *Apophtegm.* Verùm quid aurium perforatio cum Principis perfectione, ut in illo dicantur perfectæ, ſi perforatæ? Suppetit. Perforantur aures Regum clamoribus ſubditorum: & vulnere dicuntur perfectæ, audita calamitate; quoniam nulla Principi maior perfectio, quam ad ovium querimonias, habere ferè ſemper aures apertas. Pro *Perfeciſti* Paulus vertit: *Aptaſti.* Ideſt, dediſti: quippe quaſi corpus careret auribus, modò non perforentur ſubditorum doloribus. Sed nota: Paulus ait: *Corpus aptaſti.* David: *Aures perfeciſti.* Aures accipiuntur pro toto corpore in Principe: meritò quidem; quoniam clade ſubditorum inaudita, non erit corpus Principis, ſed phantaſma.

Pſalm. 39. 7. Bibl. Max.

Rex mācipium publicū.

In quo aures opertæ.

Hebr. 10. 5.

Doloribus perforatæ.

14 *Aures perfeciſti*, & *Mihi* addit. Mihi, quia gloria Regis levamen pauperis. Non aliter aures aptantur Regibus: ſiquidem recordantur vulnere inauris, quid queſtus ovis. Uſus inaurium apud Orientales communis eſt. Conſtat ex Sacra Pagina *Iudic.* 8. v. 24. In ſimulachris Deorum, *Geneſ.* 35. v. 4. in ſtatuis, Plin. lib. 9. cap. 55. & lib. 11. cap. 37. Inſignia erant magnatum. Plaut. in *Pœnulo Act.* 5. *Scen.* 2. v. 21.

Uſus inaurium apud Orientales.

——— *Incedunt cum annulatis auribus.*

Plaut.

Et Lucilius.

Nequā eſt, aurū aures cuius vehementius ambit.

Lucil.

Unde iocus Ciceronis in Afrum: *Atqui aurem foratam habes.* Vide Servium in *Virgil.* 1. *Æneid.* de ſtatua Achillis. Iobi uti Regis perſpicua merita præſignantur in muneribus. Inaures pendent ab auribus. Solatium planè miſeris in adverſa fortuna: quandoquidem non permanebit adverſa, ſcientibus ſingulis, clamores ipſorum non tantùm ad aures Principis pervenire, ſed perforare, & pendere.

Cicer.

Clamores ovium perforare debent auriculas Principum.

Satis digreſsi ſumus. Ad rem ergo. Fœminis propter cerebri humiditatem, & humoris ſuperflui abundantiam, ne hemicrania laborent, & lumina obſcurentur uligine; conceditur uſus inaurium, quibus multoties ſuſpenditur patrimonium. Ergo inerit diſcrimen amittendi oculos, Principi claudenti auditum, vel vacuo inauribus. Profectò: oves pauperes ſunt inviſæ, quia pauperes. Balant, & errant requirentes ovilia: & Paſtori Principi, cui committuntur oves, dicantur inaures; ut pondere gravata auricula, non repulſa querimonia, qui conſtituti ſunt Principes, perſpicuiùs videant oves laboribus & nuditate balantes.

Ut audiant, & perſpicuiùs videant.

15 Acutè proſpexit Prodigi Pater: nam ovem errantem, quæ perierat, *cum adhuc longè eſſet vidit.* Laterones Ieſum nudum, & Iobum (ut notavimus) à longè noti viderunt. Oculi patris (erant patris oculi) longè ſtantem vident nudum: ita ut miſericordia motus, quamprimùm diceret: *Induite illum.* Nudum induit, ergo vidit. Quomodò ita aſpiciebat, quem nullus viderat, nec videre poterat? Pater ad ovis amiſſæ vocem habebat inaurem, ut decebat principem: & nudus, qui omnibus inviſibilis, oculis à longè patefactus eſt paternis; quoniam inaurium gravamine auricula perforata, acuit ad nudas oves luminum lumina.

Luc. 15. 20.

Acuitur viſus pōdere cōpaſsionis.

16 Vulgivagè primates accipiunt inaurem, ut ornatum auribus, & minimè ut levamen ovibus. Inaurem in cultu, reijcientes ovem, propter quam inauris; quia gravedo: verùm miſerè neſciunt gravedinem tolli ovium, pondere inaurium. Non pertinet ad eos de ovibus, ſi nudatæ ſint velleribus. Sanè excæcantur, ubi nudas aſpiciunt: atque in ſplendore & pondere inaurium, queis obtinetur viſus; quæritur nitor, & excutitur pondus. Ita (Proh nefas!) cæci ſtant, & ſurdi ad clamores miſerorum, & oves nudæ ſine auxilio procedunt. Terra, ut vidimus, vocatur caro noſtra propter peccatum inviſibilis & inviſa. *Iam videtur*: ait Auguſtinus *Serm.* 235. de *Tempor.* Sed quare? *Aſſumptione Domini viſibilis facta eſt.* Primos parentes aſſumptio-

In onere dignitatis ferè reijcitur onus.

Auguſt.

ne humanitatis ditavit, nudos cooperuit, in priſtinum ſtatum abiectos nuditate reſtituit: reddidit viſibiles hominibus homines, qui præ miſeria & tremebant latitantes. Iam non dicitur, *ubi es* Adam? *Dum caro videtur, videtur & Verbum*: exclamat Ambroſius lib. 2. in *Luc.* de quo ſpecialis ſermo *Tautolog.* 4. *Didaſc.* 4. Ego autem: *Dum Verbum videtur in carne, humana caro videtur*, quia tanta dignatione humilitas exaltatur. Caro videtur & pauper proſpicitur: igitur viſcera confoventur, & egeni miſeratione iuvantur. Non ignarus mali miſeris ſuccurrere diſcit, & frigore tremit, ne nuditas inter Chriſticolas laudetur, & algeat.

Geneſ. 3. 9.

Quanta facilitas hominis videntis Verbum Divinū in fragilitate carnis!

Ambr.

DIDASCALIA VII.

Eſt aliquid quò tendis, & in quo dirigis arcum?

1 SEntentia ſanè digna maiore Doctore: quam protulit Perſius *Satyr.* 3. ſine fine non operatur rationalis. Eſt ne aliquid quò tendis? Eſt, vel arcum in fruſtra dirigis? Primùm ab homine contemplandum, *Quid ipſe ſit, quid intra ſe, quid extra, quid ſupra, quid infra, quid contra, quid ante, quid poſtea*: ait Ioannes Sariſburienſis in *Symbolo.* Si non ita, in caſum dirigitur arcus, & fruſtratur intuitus.

Perſ.

Quid perfectæ cognitioni ſui neceſſarium!

Ioann. Sariſb.

Stertis adhuc? Laxumque caput compage ſoluta
Oſcitat heſternum?
An paſſim ſequeris corvos?
———— *Atque ex tempore vivis?*
Elleborum fruſtrà, cum iam cutis ægra tumebit
Poſcentes videas. Venienti occurrite morbo.

Perſ.

Subdit Perſius ubi ſuprà. In grandi hac Republica, ſeu gyrgatho mundi unuſquiſque deſipit; ſed non omnibus inſania eadem.

Ille ſiniſtrorsùm, hìc deorſum abit, unus utrique
Error, ſed varijs illudit partibus omnes.

Horat.

Ait Horatius lib. 2. *Serm.* Contemplator inſaniam apud Senecam de *Brevit. Vitæ*, cap. 17. *Novæ occupationes veteribus ſubſtituuntur: ſpes ſpem excitat, ambitionem ambitio: miſeriarum non finis quæritur, ſed materia commutatur. Noſtri nos honores torſerunt? Plus temporis alieni auferunt.* (Ambitio umbratica, qua fovetur tot ſæculis quaſi inexcuſabiliter humana gloria.) *Candidati laborare deſivimus? Suffragatores incipimus*, &c. Vanas occupationes reſecant Stoici verba, ne ſolicitudinis labe ſordeſcant maximè religioſa corda. Repulſi ſunt à Chriſto impetus ambitionis filiorum Zebedæi, & *audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus*: (perperam zelus, qui non indignatur de ambitione, ſed de fratre: ſiquidem in delinquentes diriguntur flagella, & non in crimina: de quo *Tautolog.* 6. *Didaſc.* 6.) de duobus fratribus indignatis decem; illicò *facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior.* Patet cauſa, cur de duobus cæterorum indignatio: cùm inter eos fit de maieſtate contentio: igitur cùm dignitas à procis videtur; *ambitio ambitioſos ambitione deteſtatur*: infit Novarinus in cap. 20. *Matth. num.* 1037. Calcant uti Diogenes (vide Eraſmum in *Apophth.* lib. 7.) ſuperbiam, ſed alia ſuperbia calcant. Nemo ſapit capite alieno: imò uti Phryges nec proprio. Non finis miſeriarum quæritur, ſed materia ambitu irrequieto contentioſè commutatur. Quare ergo? Quia hoc aliquid nihil eſt, in quo dirigitur arcus. Ideo inſipienter labant, corruent, at infeliciùs in miſerijs non ſubſiſtent.

In ambitione non finis quæritur, ſed materia commutatur.

Senec.

Matth. 20. 24.

Zelus ut expellat crimen, amplectetur delinquentem.

Luc. 22. 24.

Ambitio ambitione excitatur.

Novar.

Eraſm.

2 *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit*; ſuperbè dixit Eliphaz in Iobum. Sept. Interp. & Biblia Complutenſis. *Cunctis diebus ſuis inquietus infatuatur, & evaneſcit in ſolicitudinibus.* Satagentis cordis æſtus (motus ſiderum errantium, fructus feri maris, fluxu & refluxu rerum temporalium, deſpumantis ſuas confuſiones) mirificè pingitur, ut quieſcat hiatus; ſed oſcitans nunquam quieſcet. Siſyphi more ſaxum volvit, & pondere gaudet.

Iob 15. 20. Sept. Bibl. Compl.

———— *Siſyphi nunquid lapis*
Geſtandus humeris?

Senec.

Senec. in *Thyeſt. Act.* 1. v. 5. Attollit ignara ſorte oculos ad cupita nitore fucata, nullumque ſaxum intactum relinquit, ut lucretur aërea. Chamæleontis more aviditate hiat. Compos voti fit, & non fit compos: quoniam in tot periculis conſtitutum, haud concipit optaſſe nil præter ventum.

Labore gaudet.

Excuſaretur tamen ſemel deceptus, ac in diſcriminum iactu doloſè infixus: verùm lętatur periculo, & hæret placidè luto. *Non ille ire vult; ſed non poteſt ſtare; non aliter* (aſtruit Seneca *Epiſt.* 94.) *quam in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis eſt iacuiſſe.* Non conſiderat, utpotè temporalia tranſire bona, ſed dextrè pertinacia nanciſcenda. Non cogitatur, an ſors ſecunda deterior, ſed felicior; quaſi largitura profuſè proximo iactu, quod cæcè perturbaverat priore ioco. Pericula imminent, ſed feruntur. Aſpera occurrunt, & ſubſtinentur. Cæſpitat, cadit, ſurgit, mergitur, natat, & adhuc oſcitat. O miſer! Siſte. Non quieſcet ambitione, eundi finis eſt iacuiſſe. Volitat ante oculos ſpecies deſiderabilium ſuorum, & extendit albis viſceribus manum. Apprehendit denique dum ſpecies tranſit, & apprehenſione evaneſcit. Futilitate muneris ce-

Senec.

Et infatuatur.

Reſipiſcentia deſipit.

cerebrum vertitur; & fraude plus ſtolidus infatuatur: ſiquidem vexatione, qua acuitur intellectus ad cognitionem; urgetur ut ſequatur ludentem amaritudinem. Vernacula dialecto. *Con los deſengaños mas ſe engaña.*

Quæ te dementia cepit cor humanum? Lumine ineſt denſior caligo? Ludit cogitatio, dum fremit ambitio, expoſita libenter miſerandæ iacturæ ut vanitate ſatientur vel ad horam cogitationes vacuæ. Aliquid magnum latet ſub aquis, dicere quibat curioſa ſolicitudo; quandoquidem tegebatur terra divitiarum origo. Tractum eſt velum, nec apparuit magnum: igitur expectabatur opulenta & florida; ſed dum venit ad oculos, apparuit arida. Nec aliquid, cùm vacua terra: quoniam quod concipitur in vacuitate ſolidum: apparet etiam cogitationi vacuum.

Nihil terra, quia vacua, Geneſ. 1. 2.

D. Th.

3 Contra errorem Eliphaz (ut hìc aſſerit Doct. Angelicus) inſurgit Iobus. Ille in abundantia rerum temporalium ſortem collocaverat felicium: hic verò miſer modò, deſcribens perfunctum regimen, opulentiæ diſcrimen, & miſeriam inſtantem; ita diſſerit: *Sicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui, ſic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeravi mihi.* Qui pijs, honeſtiſque laboribus intenderat oculus cæco, & pes claudo, ita de tempore queritur? Quid, qui tempus terunt, & alios conterunt? Vacuos dicit menſes felicitate, divitijs & voluptatibus plenus, ac univerſis fortunæ largitionibus refertiſsimos? Dicit & iurè. Nihil erat in quo direxerat arcum: cognovit inane, quod concepit ut ſolidum: vacuoſque vocat menſes, quos repleverat copiosè proſperitas; quia tantæ fortunæ evanuit in momento felicitas.

Iob. 7. 1. 3.

Nulla, ſi temporalis, proſperitas.

Pungit in fruitionem humanæ gloriæ corda carnalia ipſorum inanitas in uberiore affluentia; & ait: *Menſes vacuos, ſicut mercenarius præſtolatur finem operis.* Mercenarius laborat, & ſæpe nil proficit. Cur non? Ei autem qui operatur, merces non deputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum: quo pacto mercenarius habet tempus laborans, mercede vacuum? Quia ſæpe ſurripitur: & ſtudium rerum temporalium mercenario confertur; quia eius labor, vel opus raRò perſolvitur.

Fruſtratur labor in illam,

Menſes vacuos. Si à fine operis ſumitur laboris utilitas, vacua & inanis erit mundana proſperitas. Hiat enim homo fortunam volitantem ad luminum faſcinationem, & larvam oculorum; ac currens apprehendit larvam: ſiquidem lapſa è manibus, reliquit ſpecie illuſum vecordem, verùm iterùm hiantem. *Menſes vacuos.* Implentur dies, partis conatibus operum, ut vita iudicetur meritò plena dierum.

Quia larva felicitatis.

Circunſtant corda vana diligentia vanitatem, ſic & ſic ſpeculantia cogitatam beatitudinem. Circunſtant, verùm in vanum laborant: ac Iobus appellat menſes vacuos; irritis laboribus uſquequaque conſumptos. Taxat S. Patriarcha N. Benedictus *Regul. Sanct. cap. 7. Grad. 1.* illuſtrans illud David *Pſalm. 93. v. 11. Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Cur vanæ? Quia ſine fine, & procul à fruitione: igitur patet exitu phantaſma inutilis vanitatis; dum cogitationes huiuſmodi ſunt tantùm cogitationes. Pondus gloriæ eſt pondus grave. Momentanea gloria mundi: ſiquidem libra trutinans bona, adhuc in fruitione; nulla hæc prorsùs atque inania revelabit.

Otioſa occupatio.

S. Ben.

Exitus acta probant.

4 Aſtipulatur ſententiæ Iobi ſtylus Alexandri cognomento Nobilis, cui fama percrebeſcente Machabæorum, dictum fuit de illis gloriæ plurimum & inſigne. *Narraverunt ei prælia & virtutes :: & labores quos laboraverunt.* Hebraiſmus profectò vividus. Nec virtus ſine certamine, nec certamen vel leve ſine labore. *Prælia, virtutes, & labores.* Conatus deſignantur (ſpecie virtutis) rerum temporalium, in cordis appetentis lamentabile ludibrium: igitur dum arridet fortuna, pectori ſolicitat prælia: experitur enim nil amplius niſi laborem, quaſi turbo verberatus requirens felicitatem.

1. Mach 10. 15. *Virtus ſine labore nulla.*

Fructus gloriæ inanis labor.

Labores, quos laboraverunt. Eſt labor ſine labore; ubi quis fama claret mutuata luce. Vide *Tautolog. 3. Didaſc.. 5. Labores, quos laboraverunt.* Novum in conamine flagitium, & flebile ſtudium. Labore optatur quies, & obtinetur: non ut laboretur, laboratur: & humanam futilem gloriam, auramque captantes, dicuntur tantum laboraſſe labores; quia dum futura terrena promittunt quietem, præſentia exhibent faſtidium ſolicitudinis.

Et labor laboris.

Labores, quos laboraverunt. Suæ quiſque fortunæ artifex eſt. Inaniter queritur, dum inania ſectatur: etenim ſtudio poteſt laborare felicitatem; & vanidè mavult laborare laborem. *Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filijs hominum, ut occuparentur.* Occupatio ad aliquid tendit, ſed mundanorum ſtudium non eſt aliquid. Vincula ſunt terrena omnia: currunt corda laborando, ut quieſcant; ac in arctiora prolabuntur vincla: ſiquidem dum laborant, ut fruantur; occupantur laboribus, ut occupentur. Quid ergo laborando fecerunt? Laborare. Miſerande homo! Occupationem parturit occupatio? Non cognoſcitur amentia, & ſolidum cogitat quod confingit phantaſia.

Suæ fortunæ quiſque artifex.

Eccle. 2. 23.

Solicitudo felicitatis otioſum opus.

5 Accinit Iob loco præfato. *Noctes laborioſas enumeravi mihi.* Laborioſæ noctes reſpondent menſibus vacuis. Incauti mortales in vanum laborant; verùm noctibus noctes ſcientiam nequaquàm indicant. Noctes quieti deſtinantur, & laborioſæ dicuntur; quia laborando proſperitate menſibus vacuis, ambitus fecit, ne requieſcerent quieſcentes. Intendite. Stultum vocat Deus illum irrequietum divitem, animam ad delicias invitantem. Cur ergo? *Habes* (ait) *multa bona:::requieſce.* Stultus utique eſt. Quando quieſcit anima, dum habet homo temporalia bona? Eſt tibi irrequieta proſperitate quies, & animo anxio facùl promittitur requies? Vigilas. Nec mirum: inter glorias mundi obtenta felicitate, neceſſe fuit noctes laborioſas habere.

Iob ubi ſupr.

Vel in quiete maior ſolicitudo.

Luc. 12. 19. 20.

Quid nox laborioſa?

Noctes laborioſas. Labor inſtat, ut quieſcat corpus attritum, & in nocte laborat curis animi pluſquam flagelis contuſum. Corpus etiam laborat. Quod laſsitudo in quietem proijcit, ſolicitudo excitat. Omnia quæ tempore volvuntur vota diurno, tempore nocturno reddit amica quies. Vigilat, ſed fruſtrà; ſiquidem irrita vota: & ſolummodò alacritas inanis cogitationis prodit vigilijs vacuitatem capitis.

Delirat homo phantaſmate felicitatis ſpecie.

Noctes laborioſas (quò ad ſciam) vocat noctes inſomnes: aptè inſomnio ſimilia momenta proſperitatis. Non ratio ibi, ſed phantaſia pingit imaginem: erudiente etiam ſomno vanidum hominem; omnia ad quæ tendit in mundo cordis effrænata amentia, eſſe conficta idola pulchrè à phantaſia. Perperàm patientur quaſi incubone, his vanis imaginibus vigilantes; dum etiam cogitant vigilare dormientes. Non diſcernunt vigiliam & ſomnum inter varietates imaginum: igitur ex temporalium ſtudio, ex ſincipite vacuo, dum ad horam mortis ſe cogitant perveniſſe; dolent, ſed ſerò vigilando ſomniaſſe.

Serò ſapit, qui ita ſtudet.

Laborioſa nox mors eſt: & gravis ſatagenti ſæcularium deſcribitur; quia tunc nox mentis ſicut dies illuminabitur. Mundi florida apparebunt arida, fœda quæ pulchra: eritque nox laborioſa, quum cogitet anima tot menſes vacuos tranſijſſe, & ſolicitudinibus ad nihilum laboraſſe. *Noctes laborioſas enumeravi mihi.* Laborioſæ non ex ſe, ſed *mihi*, quia ſic laborioſas volui. Nox quieti, non angori: & laborioſa *mihi*; quoniam ſolicitudine vacua laborioſam feci. *Mihi.* Minimè quia voluntaria, expellebatur moleſtia; imò moleſtior, quia voluntaria: & nox laborioſa *mihi*, dum ita vigilando ſomniavi; cùm poſsim habere quietem, expellendo è corde ſolicitudinem. Sic angores (ò vana corda!) bracteamus; quaſi non eſſent angores. Nunquàm deſunt vel felicis, vel miſeræ ſolicitudinis volentibus cauſæ. Trahimur, ſed non voluptuosè. Peccamus, qui compeſcere peccata debemus. Nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus (vide Gregorium Magnum *Homil. 17. in Evangel.*) tempus ambitione & vanitate conſumimus, & tota nocte laborantes nihil cepimus.

Nox laborioſa mors.

Homo excudit, unde ſe torquet.

Greg. Pap.

6 Pro nihilo habentur anni eorum. Sic enim intelligendum illud David: *Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt*, uti hìc notat Incognitus. Sic Iobus exclamat: *Nihil enim ſunt dies mei.* Nihil tam longum tempus, quo vita vehebatur ad mille annos? Nihil. De peccatoribus per diluvium peremptis, ac ſuffocatis loquitur. Habebant mentem frivolis occupatam & otioſam: otioſam inquam, quia frivolis occupatam: nihilque tot annis dicit Propheta, vixiſſe; quia vixerunt ſupervacuè.

Pſalm. 89. 5. Incogn. Iob 7. 16. *Vita inutilis nō vita.*

Omnia iſtorum tempora excute (ait Seneca & cap. 6. & 19. de *Brevit. Vitæ*) *aſpice, quandiu computent, quando inſidientur, quamdiu timeant, quandiu colant, quandiu colantur. Quoſdam cùm in ſumma ambitionis fortuna devexit; inter prima luctantes ætas reliquit. Quoſdam cùm in conſummationem dignitatis per mille indignitates irrumpunt; & fronte aperta, quia faciunt, licita prohibita impudicè defendunt; miſera ſubijt cogitatio animi laſsi, ipſos in titulum laboraſſe ſepulchri. Nec putes illos non intelligere damnum ſuum: cauſa multis moriendi fuit, morbum ſuum noſſe.* Pleroſque audies ex his, quos magna felicitas gravat, & nimius honos ſplendidè onerat, inter clientum greges, & cauſarum actiones, cæteraſque moleſtias improbis ſolicitudinibus captatas, corde læto, ore faſtidioſo exclamare: *Mihi vivere non licet.* Non licet? Vive, & licebit. Vive, ut vivas. *Elige vitam ut vivas*: & vive. Tantam cogitationum ſarcinam depone. Renuet: quia etſi gravamen, uti leve placet; & de pondere cogitato, ut de levitate ridet. Aurea verè Senecæ verba.

Ambitus aurea deſcriptio.

Senec.

Deuter. 30. 19.

Baiulis ſtatuarum coloſſearum (Hiſpan. *Gigantones*) conferuntur harum ſolicitudinum decorarum queſtus. Figura ridetur, geſticulatio formidatur, ſimulque frons rigida, labia turgida, maxillæ inflatæ, oculi torvi, tortuoſæ cervices, intonſa cæſaries, barba glabra, muſtaces piloſi, bronchi gelaſini, & denique deridicula partium improportio; cùm ex deformitate, earum conſtet pulchritudo. Hanc machinam plerunque blitei homines portant, onus ſuſtinent, & pondere gaudent. Gemunt? Inſaniunt: populum ſaltatione demulcent, ſudant, diſrumpuntur, ſaltant, & crepitant. Sed quàm moleſtè! Ni fallar, & quàm

Baiulo mimico confertur.

quàm volupe! Quandoquidem ſi arbitraris viſcera pondere anxiæ baiulationis dignitatum & ſolicitudinum ſibi rumpentes; præ gaudio, ac riſu invenies iucundiſsimè ſaltantes. Haud gemunt gigantes ſub aquis culminum, verùm ſemoti à culmine gemunt. Si ſimulat aſpectus, promitur riſus Sardonicus. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Quid? Apparet tandem tandem tempus conſumptum, & pro nihilo habentur anni eorum.

Exercitia formant vitam.

Vanitate carpûtur dies.

Exercitia formant annos & vitam, nequaquàm tempus. Nihil turpius eſt, quàm grandis natu ſenex, qui nullum aliud habet teſtimonium, quo ſe probet diu vixiſſe, præter ætatem. Non diu vixit, ſed diu fuit. Eſt vita illius durare, non vivere. Improbi genio indulgent, alliciuntur vacua felicitate, honores ambiunt, temporalia ſequuntur: quæ cùm inania ſint; pro nihilo habentur anni in tanta longitudine, quoniam dies eorum defecerunt vanitate.

Plat.

Quænam Dædali ſtatuæ?

7 Statuæ Dædali, quas videris apud Platonem in *Dialogo Menon.* inter Antiquos famoſæ, adhuc apud eruditos Palæophilos celebrantur & iurè. Facies, & cultus erat fœminarum: pulcherrima illa, hic ſpectabilis: ita ut ipſa varietate magis ac magis pellicerentur oculi. In cavitate illarum, alarum volucrum artificium ſic calybe flexo, oppreſſo, & retorto erat vertebratum; ut quaſi animatæ procederent ad conſpectum. Vulturio vultu, & textili vento ſtimulabant optantes, ante lumina euntes, & redeuntes. Audacibus promittebatur aſſecutio, audebant: lento gradu properabant: at levi tactu, digituli crepitu, rupta interiore commiſſura incluſi oppreſsi calybis; avolabant è manibus inſtar fulguris: expectantibus fruſtrà bona volitantia, gaudia fugitiva; ridentibus cunctis, & ſequentibus oculis: quin exprimentes dudùm aviditatem, obtinerent in ludo niſi pudorem. Imago utique mundi huius proſperitatis. Iocatur, vellicat, ut ludat, & eludat; volitat, ſaltat. Utinam corda ſaperent, & avolaturam proximiorem intelligerent! Diſcant ergo.

Symbola terrenæ proſperitatis.

Eccli. 34.2.

8 *Sicut qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad viſa mendacia*: dicit Siracides. Vivida prorſùm ſimilitudo, qua quidem ſapit homo vel ſine cerebro. Huius labilis nutantis machinæ proſpera dicuntur mendacia, & viſa. Aſpectui ſpecie blandiuntur, ut corda ſubdolè trahant, ſpeque gaudij ſimulatè demulceant: pectora ducuntur incautè; & apparent quæ effulgurabant, illecebræ: igitur felicitatis concepta vota, in poſſeſsione revelantur mendacia.

Quæ fugax.

Mendax. Inanis.

Fallunt ſed dulci dolo, & illudunt pectori cupido. Dignus ſanequàm iocus apud ſtupidum; dum ſequitur fatuè & perſequitur ventum. Vacuitas vel in temporalium fruitione, oſtenditur hac imagine. Apprehendit ambitus, ſed quid? Nihilum, dum captat votum. *Sicut qui apprehendit umbram*, dicitur; quæ quidem minimè apprehenditur.

Fallax.

Animam dimittit inanem rerum, quas concipit, caducarum concupiſcentia, dum amore illarum intra ſe ipſam, & in ipſis deficit anima. Ieiuna manet, eſtò ſecùs præſumpſerit. Famem patitur ut canis, & circuit, quærens quid devoret. Aperit os, & non implet. Somniat vigilans & famelica, delicatis dapibus ſaturari. Certè ſomniat: ſiquidem excuſſo ſomno & apertis oculis; nihil omninò videt proſperitatis.

Somnus eſt.

9 Nota in ſimilitudine venti, proſperitatis illicem & cordis inanitatem. Non aëri (etſi pendula omnia) ſed vento meditanter proponuntur ſimilia. Aër non videtur, verùm ſilet: ſecùs ventus, qui levia murmure movet: & mundana proſperitas vento ſalsè comparatur; quia tinnit, & non videtur. Crembala phantaſiæ crepitant cordi petulco, quod quidem ad numerum tripudiaret duntaxàt ſono. Imagines vanitatis choreas formant, atque cupiditatem ad ſaltum, vel præcipitem invitant. Felicitas primas eſt, ſequitur cor: verùm cùm in eodem ſtatu tripudians non permaneat uti levis, & vana; reverſo pede apprehenſa, fugit ut umbra.

Cur vento, & non aëri comparatur?

Umbra eſt.

Attendit homo ad viſa mendacia, titillante pulchritudine, ſpecie quoque doloſa. Laborat, ut accedat: felicem ſeſe iudicat, & laborat: igitur Dædalicarum ſtatuarum inſtar irritantia & irrita vota, dum præſeferunt ſtulto expectanti favorem; nil præſtant avolantia præter imaginem. Speculum cœli dicitur mundus. Opportunè. Cœlum felicitatis eſt thronus. Si ſpeculum tantum mundus, erit proculdubio vana mundi beatitudo, quippe ſolummodò reſultat imago. Perperàm quit exultare homo, florens inaniter exaltatus, dum umbra tantùm comprehenditur, & non corpus. Viſa ſanequàm in ſpeculo mendacia erunt, quæ lumina fugiunt. Si hìc felicitas felicitatis eſt umbra; erit ad oculum felicitas falſa. Imago eſt oculis, & non eſt felicitas imago felicitatis.

Idolum.

Speculũ.

10 Huiuſmodi igitur ſolicitudo æquatur iurè pueris conſiderantibus vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. Idolum attentè reſultans inſpiciunt: conciliare ſibi, & arripere intendunt; ſed imaginem apprehendere non poſſunt. Ridetur eorum fallacia, & hominum etiam ridebitur ſtultitia: ſiquidem ſine delectu imaginem ſequens; ut corpus iudicabitur ſtultus, & puer quoque centum annorum.

Stultus qui quærit in ſpeculo corpus.

Hu-

Huius fatuitatis origo ignorantia eſt. Non diſtinctè concipit homo inanitatem rerum temporalium, quia longiſsimè aſpiciuntur. Extenſior fit umbra in Solis ortu & occaſu. Imagines ſpectabiles tunc patent oculis. Quò plus lucis defectu extenduntur; pluris quaſi maiores & pretioſiores magnitudine æſtimantur: hiſque vanidis imaginibus conferuntur viſa mendacia, ut hominum diſpaleſcat ſtultitia: igitur dum Sol deficit intelligentiæ, maiores cadunt altis de montibus umbræ.

Aviditas ignorantia eſt.

Medicina ultrò adhibenda, ut homo circumventus reſipiſcat. Propenſio eius in terrena, & cœleſtium prætermiſsio infatuant futilem mentem, ſedulò requirentem naſcentem & occumbentem felicitatem. Seducta à ſpeculi fallacibus radijs, obliviſcitur cœleſtis ſplendoris, ſignantis vana; quæ vana, concipit vera: etenim orbita docet, videre cœlum, ubi felicitas aſsidet; non verò mundum, ubi imago reſplendet. Reſipiſcat. Patet ad oculum rationalis pœnitudo: igitur obnubilo cœlo, nec relucet imago. Sine luce non umbra, ſed duntaxàt phantaſma. Species rutilant fatuis, & uti in ſpeculo, ſine corpore evaneſcunt ſpecies. Sit ergo aliquid quò tenditur, & in quod dextrè arcus cogitationum dirigitur.

Tantùm in cœlo vera proſperitas.

DIDASCALIA VIII.

Omnia anguſta eſſe versùs Deum.

Senec.

1 DIxit Stoicus *Præfation.* in *lib.*1. *Quæſt. Natural.* Quæ auguſtiora & excelſiora, ſunt ima; cùm ſint cœleſtia ſuprema. Imminent orbi, & eminent, iuvant & lucent. Verùm terrenus in terrena tendit, & alta à longè cognoſcit.

Ovid.

Prona cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublimè dedit, cœlumque videre
Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Cecinit Ovidius *lib.*1. *Metamorph. Fabul.*2. Sanctioris huius corporis cit cœlum faciem elatam, prona cùm ſpectent animalia cætera terram: ſed homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comporatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Proh Superi! Nequè id intra vulgum dementia eſt, ſapientiæ quoque profeſſoribus contingit. Expers cõſilij fertur mens temeritate à natura neſciente. Cæcè videt, quod claret: conſpicilijs utitur multicoloribus, & uſu amplectitur, quod ratione deſpicitur. Metitur terrena non defectibilitate, ſed ſpecie: unde dum ſpeciem ambit, cupedioſè deficit. Ergo in his rebus abutuntur oculi, quo vident, optico tubo. Conſpiciunt caduca à centro ad latam circunferentiam, qua minima maxima: non verò à circunferentia ad centrum, qui Deus eſt, ubi maxima minima: ſiquidem pateret in maiore magnitudinum, quàm anguſta eſſet vel auguſta versùs Deum.

Fatuitas metitur terrena ſpecie, nõ defectibilitate.

Emped.

2 Empedocles apud Stobæum, & Alapid. in *Levitic.*19.v.27. dixit: *Deum centrum eſſe, ſeu potius circulum, cuius centrum eſt ubique, circunferentia nuſquam.* An quia *ſolus eſt omnia, opus ſuum & intra & extra tenet?* Ita Cordubenſ. ubi ſupra. Mirificè. Si ſolus eſt omnia, ſine ipſo omnia nihilum facta. Centrum illimitatio eſt, circunferentia mundus: deficient ſanè omnia in mundi circulo, ſi removeantur à centro. Delectabilia ſunt utique ſenſibus, perſpicua cupiditatibus. Delectabit hoc aliquid? Delectabit: ſed ſine ipſo factum eſt nihil. Nihil, & factum: manet enim extra centrum. Mundus cuius centrum Deus, circulus dici poterat: circunferentiam enim ſibi vendicat. Surſùm ergo erigenda ſunt corda, cùm versùs Deum conſpiciantur anguſta.

Senec: Sine Deo nihil omnia, qui omnia ſolus.

Iſai. 33. 17.

3 De iuſto dicitur: *Oculi eius cernent terram de longè.* In terra ſtat: & terram à longè aſpiciunt clariſsima lumina, quaſi eſſent procul à terra. Quomodo in terra, & longè, in 2. *tom.* latè. Modò propoſito. Quæ longè ſunt minimè diſcernuntur, & ut minima putantur: unde à longè aſpiciuntur terrena, quæ manent iuxtà; quia versùs Deum æſtimantur ut minima. Optica iuſtus circumſpicit totum mundum, ſed à terra in centrum. Si aſpiciendus à longè, neceſſariò deſpiciendus: igitur nequaquam æſtimatur, quod non videtur. Tubus hic meliore & pulchriore perſpectiva ſignatur graphicè in Iacobi ſcala. Iſtiuſce cacumen in cœlo, columen autem in ſolo. Per illam aſcenditur, & deſcenditur. Nota lapſus & delapſus hominum, aſcenſioneſque cordis in valle lachrymarum. Elevatur cor à terra, ut longè aſpiciat; ſi longè aſpicit, ſignum eſt, quod elevatur. Aſcenſione centrum adit, ubi circulus comprimitur: deſcenſu verò circunferentiam, ubi oculus dilatatur. Patet deſcenſus & aſcenſus: igitur cor deſcendet, ſi dilatatur in minimis; & aſcendet profectò, ſi anguſtatur in magnis: quoniam videbit aſcendendo in empyrium; quàm anguſta ſint inferiora versùs Deum.

Terrena deſpiciũtur, dum versùs cœlum aſpiciũtur.

Geneſ. 28. 12.

O quàm iuvabat (quo nihil maius parens
Natura genuit, operis immenſi artifex)
Cœlum intueri!

Senec.

Succinuit Tragœdus in *Octavia. Act.* 2. v. 379. Quæ ſurſùm ſunt ſapite: quæ ſurſùm quærite: etenim amore reciſſo ſæculi, oculi in terra cernent terram de longè.

Ut

Ierem. 30. 3. 18. & 33. 7.

4 Ut homines convertantur ad cor (nec novum: rapit illa dilectio, & in mundo vivitur ex rapto) *Convertam converſionem veſtram*, dicit Dominus. Quænam iſthæc converſio, quæ convertenda? An Religioſi cordis? Utinam fallar! Perverſio iurè iudicabitur, ubi converſio convertitur.

Bern.

Videas pleroſque (ait Bernardus *Homil.* 4. ſub. *Miſſus eſt.*) *de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos ſubitò intumeſcere, priſtinæ obliviſci abiectionis, genus quoque ſuum erubeſcere, & infimos dedignari parentes. Videas & hos pernicioſos ad honores quoque Eccleſiaſticos pervolare, moxque ſibi applaudere ſanctitatem veſtium duntaxat mutatione, non mentium ::: impatientes amplius fieri in clauſtro, quàm fuiſſent in ſæculo.* Hæc converſio meritò convertenda, quia ſubverſio, & non converſio.

Quæ cõverſio cõvertẽda?

In caduca utpotè cordis idola populus vehebatur, cœleſtia faſtidiens. Cœleſtia uti in centro diſtinguebantur minima, caduca verò in circunferentia magna: Iudicium perverſum eſt. Neceſſe utique amantium terrenam felicitatem, convertere converſionem: igitur tubo inverſo versùs cœleſtia, apparebunt inania cuncta inferiora.

Quo pacto terrena cognoſcenda?

Geneſ. 1. 2.

In principio creavit Deus cœlum, & terram. Utrumque inornatum in principio: & ſolummodò *terra* dicitur *vacua*; quia cœlo creato, nihil omnia, quæ continentur in terra.

Ierem. 22. 29.

5 *Terra, terra, terra* exclamat Ieremias, ut ad frugem bonam mentis, Rex revocaretur & optimates. Qui eſt de terra, de terra eſt; & terra terra. Nunquid creperum? Quid? Ignotum? Utique. Cœleſtia uti ignota reſpuebant, ac in miſerijs quaſi bonis exultabant. Hanc furtivam, proſperitatem appellabant inſani, nec fucatam introſpiciebant illuſi. Captivitas imminebat & gravis: vecordes indulgebant illecebris: ſeſe quærebant, & ruebant in mala malis involuti, futuri ſtatus auditores oblivioſi: cunctaque terrena Propheta objicit ut futila; quia illorum vota, totuſque mundus terra & terra, & nihil amplius.

Terrena omnia terra.

S. Ben.

Subſtituit animo documentum S. Patriarchæ N. Benedicti *Regul.* cap. 4. *Inſtrum.* 21. *Nihil* (ait) *amori Chriſti præponere.* Quid eſt nihil, ut præponatur Chriſto? Cur non dicit, nec pretioſa, nec ſpectabilia, licet omnia non præponere?

Iob 28. 17.

Ita enim Iobus erga Dominum, *Non adæquabitur ei aurum.* Breviore verbo expreſsit Benedictus quæ ſunt in mundo. Ubi *omnia*, ſuffecit *nihil*; quia nihil omnia. Ideo Iobus ubi ſupra, *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum.* Illuſtris contrapoſitio, ut rutilet amplius inadæquatio: quoniam quæ pretioſa ut aurum in hominis æſtimatione, versùs Deum vitrum futile & fragile. *Vel vitrum*: aptè. Cordatus ſæpe proculcat, licèt reſplendeat.

Terra terenda.

6 Terra tergeminatur. Terra proculdubio terra eſt: terra terra. Terreni cognoſcunt, ſed nequaquàm reſipiſcunt: imò quæ ſunt in terra non terram conſiderantes, quaſi eſſent cœlum inſectantur amentes: & dicitur terra terra; quia ſi terra, terenda & proculcanda. Non terra terra, ſi pluſquàm terra aliquando aliquomodò profutura. Deſitionem haud credunt habitatores, licet deficiat. Aucta fuga forma eſt: at fugacem depereunt, & cœlum fugiunt. O miſeri! Totum terra: & terra nihil & vacuum, ubi amittitur cœlum. Terra terra eſt. Intende. Si cœlum amittitur, quid prodeſt homini, quanvis mundum univerſum lucretur? Infœcunda felicitas! Miſeranda proſperitas!

Nibil ſine cœlo.

Senec.

Quàm ridiculi ſunt termini mortalium! Hæc Seneca ubi ſupr. *Præf.* in *lib.* 1. *Quæſt. Natur.* Emergerent ex calamitatis glutinoſo luto, ſtudio inverſo. Culmina ſanè felicitatis attingerent, ſi dextrè ſolicitudinis terminos commutarent: & deplorantur meritò miſeri; quia pro libito ridiculi termini. Oculi ad cœlos erigendi, ubi cordium cynoſura; & apparebunt luce, fœda terrena. Vitrum triangulare ſic venuſtat obiecta luminibus, ut obſtupeſcant nitidis ſpeciebus. Senſus rapit mirabili pulchritudine, & colorum ſplendida varietate; ita ut fraude lætentur, ac ægrè à præſtigijs ſemoveantur. Verùm ſi oculos tollas, & in cœlum attollas; evaneſcunt quæ deperibat cupiditas. Vitrum hoc ignorantiam arbitror & cupiditatem in mundana. Curioſis oculis nitent non proficua, etſi perſpicua: ac placent ambientibus ultrò fallaciam; quia oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.

Vitrum triangulare ſignat fallaciam terrenorum.

1. Cor. 13. 2.

7 Sine charitate *nihil ſum*; dicit Apoſtolus. Dona gratuita, chariſmata ſuperna ſine charitate profectò ſupervacua dicit; quia nihil ſine charitate proſunt: de quo ſupr. *Didaſc.* 1. *num.* 5. Eſtò, quia ius: ſed quomodò *nihil ſum*? Qualitas accidens eſt; eſſe, ſeu eſſentia ſubſtantia, & tota natura. Filiorum ſæculi paradigma videtur; cùm eſſe inutile, ſeu non eſſe, eſſentia ſine ſplendore. Eſſe igitur deſpicitur, ut non eſſe; quia caret auctoritate. Nequaquàm Paulus quaſi aërem verberans in hæccine verba inconſultò prorumpit; ſed ut homo in cœleſtia, prout rationalis laboret.

Qualitas in ſæculo refunditur in ſubſtantiam.

Totum eſſe nullum eſſe, quia inutile, cùm ſine charitate nullius momenti. Sed quare? Prodeſt eſſe, ſed ſine charitate cœlo non prodeſt: & quod non prodeſt cœlo, reputatur pro nihilo. Haberet ſine charitate eſſe, ſed quaſi non haberet ſine charitate: ſiquidem tot donis rutilè ſplendidus, appareret in conſpectu Chriſti vacuus. Dona utique nitida, alijs fulgida, ſed ſibi

Si non proſunt cœlo bona, bona non ſunt.

ſine amore folia bracteata: in vacuum reciperet, & ſibi Paulus vendicat nullum eſſe; cùm cœlo non ſit eſſe, eſſe ſine charitate.

Obtinent divitias abundantes in ſæculo, & vocantur dites. Erunt illis opes? Intendite.

Math. 6. 20.

Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo: Dominus monet. Cur in cœlo? Ab utilitate noſcitur & naſcitur divitiarum pretium: & in cœlo iubet theſauros theſaurizandos; quia in terra opibus divites, in cœlo dimittit inanes. Ideo dicit *Vobis*: quippe qui theſaurizant in terra, non ſibi theſaurizant, ſed alijs. *Theſauros theſaurizate*, dicit; cùm aliter fieri non poſsit. Poteſt: quia in terra non theſaurizant theſaurizantes theſaurum; ſed terram, nitidum lutum. *Theſaurizate theſauros*: quoniam ni expendantur per eleëmoſynam, theſaurizant ſibi iram.

Divitiæ quæ in cœlum, divitiæ ſunt.

Theſaurizate theſauros. Cur ergo argentum præterit, aurum, gemmas, & lapillos? Sumitur diſcrimen à loco, & collocationis ſtudio. Theſaurizatur in terra, theſaurizatur in cœlis: & non terrenus, ſed cœleſtis, theſaurus à Chriſto dicitur; quia comparatione cœleſtium, univerſi facultates, nec divitiæ ſunt, nec opes. Terra ſplendida, fulgens; ſed verè terra. E pulvere exitialiter eruuntur, & in pulverem ſuum convertentur:

Non quæ in terram.

Iob 3. 22.

igitur, ut ait Iobus, de quo aliàs, cap. 3. v. 22. *Effodientes theſaurum, cùm invenerint ſepulchrum. In cœlo*, non in terra, ubi in fumum abibunt, quæ ſunt, & deſunt. Non in terra, quia niſi cœlo divitiæ temporales, vel in terra non ſunt opes.

8 *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta: verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe ::: & arbitror ut ſtercora*: in ſanam mentem receptus aiebat Paulus.

Philip. 3. 7. 8.

At quænam lucra, quænam detrimenta? Lucra legis, in qua converſatus ſine querela ſecundùm excellentiam carnis. Zelus itaque, & profeſsio rituum in perfecta obſervatione legalium: & quæ videbantur lucra, tandem tandem cognoſcuntur detrimenta; quia nimius ſæpeſæpius zelus legis parturit pro lucro iacturam communitatis. Præcavet Zelotes Benedictus *Regul. Sanct.* cap. 64. Ubi de Abbate ſic ait: *Studeat plus amari, quàm timeri: non ſit turbulentus & anxius, non ſit nimius & obſtinatus, non zelotypus, & nimis ſuſpicioſus; quia nunquàm requieſcet.* Nihil nimis: ſiquidem turbulentia, anxietas, obſtinatio, & ſuſpicio ſub nimio zelo conſtruent timorem, nullatenus charitatem. Ni Dominus filiorum Zebedæi æſtum obiurgatione compeſceret; Civitas Samaritanorum cum animabus periret.

S. Ben.

Luc. 9. 54. 55.

Prætermittunt miniſtri plerunque lucra animarum, dum temerè intendunt: implicantur ſiquidem nexibus legis, & compedibus traditæ poteſtatis. Cæſpitant undequaque & uſquequaque, quia offendiculum ubique. Tonitrua leges ſunt: imprudentes Præſules filij tonitrui: fulminant minas, antequàm audiatur auctoritas. Debellare ſuperbos artis eſt, & portatur in manibus ignis, non gladius: quippe in ſubditorum vitream moderationem, non ſtringitur gladius, ut iuguletur ſuperbia; ſed ſubmittitur ignis, ut creſcat imprudentia pervicacià. Ignis, qui omnia conſumit; non gladius, qui ſuperflua ſecet. Unde ut eradicentur zizania, ſimul eradicatur & triticum. Fusè huiuſmodi argumentum ad illud 3. *Reg.* v. 19. & 20. *Zelo zelatus ſum. Tom.* 2. *Tautolog.* 4.

Zelus nimius iactura communitatis.

9 Recenſuit Paulus zelum, ſeu potiùs furoris pabulum. Haud obliquum iudicium. Furor eſt in aliquibus ex amentia, in alijs ex ſtultitia: in nullo charitas, & in utroque fatuitas. Paulus luce veritatis omne legis lucrum arbitratur nocumentum. Cognitionis deliquium fatetur: ideo reſipit, & dicit: *Ignorans feci.* Verùm quomodò nocumentum, quod pridem lucrum? *Secundum æmulationem* (ait) *perſequens Eccleſiam Dei.* Perpende: *Secundùm æmulationem.* Zelum ſtimulabat legis profeſsio, & erat perfectorum perſecutio.

1. Tim. 1. 13. Philip. ubi ſup. v. 6.

Zelus cæcutit, ratio ſecundùm æmulationem paret, & omnia affert detrimenta, quæ debebant eſſe lucra; quia non ſecundùm rationem ſplendentem in homine, ſed ſecundùm affectum zelus operabatur in lege. Patet cæcitas. *Ignorans feci.* Lex umbra, Evangelium lux: ignorans fecit: ſanè: igitur inter legem & lucem, obumbrantem, & illuminantem intellectionem, reſpuebat lucra lucis; & ſequebatur detrimenta legis. Ignorans fecit, quandoquidem mentem ac intellectum litera occidit.

Zelus imprudens non eſt legis perfectio, ſed perfectionis perſecutio.

10 Ad rem, unde digreſsi, redeamus, & ignorantiam Pauli, in temporalium æſtimatione ſedulò conſideremus. *Omnia arbitror ut ſtercora.* Quid omnia? *Pulchritudo, honor, divitiæ & deliciæ* (ait Alapide hìc *num.* 19.) *ſtercora ſunt. Talia ſunt pariter omnia bona terrena.*

Alap.

Talia? Pulchritudo faſcinans, honor volitans, divitiæ vellicatu titillantes, deliciæ etiam cogitatu blandientes, nec deliciæ, nec divitiæ? Næ. Cœleſtibus conferuntur, propter Chriſtum cogitantur: ut cum deſpiciantur ſtercora, & talia ſint pariter temporalia bona; ut quantocyus deſpiciantur, ſtercora proponuntur.

Omnia bona tẽporalia ſunt ſtercora.

Cauſa quæritur, & ſuppetit. Cogitabantur priùs à Paulo bona temporalia, non ut temporalia, ſed ut bona. Ignorantia conſpicilia miniſtrabat: vitro triangulari ſtercora conſpiciebat. Illuſus ſpecie, recreabatur aſcititio

ſplen-

Quomodò pateat ignorantia in requirentibus temporalia bona?

ſplendore : verùm ſemoto propter Chriſtum vitro, quo fœda lucida; omnia temporalia circumſpexit ſtercora. Dolus apparuit, & pœnitet. *Ignorans feci*, ait : ſanequàm ignorans; ſiquidem deliciæ, & divitiæ, tanquàm nihilum & inane reputatæ. Quid igitur gravitate cordium aſciſcunt homines viſu cœleſtium? Quærentes temporalia bona, amplexati ſunt ſtercora.

Quo pacto ſint, & non ſint?

11 Adhuc exponendum illud, *Arbitror*, ut oppoſitum & nimis, prioribus ignorantiæ deſiderijs. Omnia quæque ſint, qualia ſunt æſtimanda. Res & rerum ſpecies, quamvis temporalium, ſubſiſtunt : & ſtercora Paulus arbitratur, etiam cùm pretioſiora intuetur; quia viſis cœleſtibus, omnia quæ ſunt in mundo, quaſi non ſint, ſic ſunt coràm eo. *Arbitror*, ait : Eſſe rerum in arbitrio Pauli repoſitum? Utique. Spiritalis iudicat omnia, dum animalis homo non percipit ea : iudicioque Pauli ſummittuntur temporalia, quæ videntur; quoniam in rationis, vel ignorantiæ menſura, ſunt lucra, vel detrimenta. Lucra, deſpecta; detrimenta, quæſita : & ignorantiam dulci Minerva fatetur; quia pervicaciter ſequebatur detrimenta, quaſi eſſent lucra. Nota in quo. *Ignorans feci in incredulitate.* Non in *incredibilitate*, ſed in *incredulitate.* Sanè feliciter. Credibilitas ex obiecto, credulitas ex ſubiecto eſt:& propriam, pertinacemque ignorantiam confitetur Paulus, dum deſcribit in mundana cogitationum aſſenſus: igitur quantumvis ut peritura, incoràm apparerent detrimenta; mens obcæcata ſolicitabat ut lucra.

Ubi ſupr.

Iactura patet, & adhuc homo credit.

Chryſ.

12 Aliter diſſerit Chryſoſtomus hìc. Fatuo mercatori comparat Paulum. Aptus eſt regno cœlorum negotiator, quærens bonas margaritas: ſed qui quærit, invenit. Verùm qui non quærit, aut deſpicit, non eſt aptus. Margarita Evangelium eſt, Paulus negotiator ruſticus : ſiquidem obviam habens pretioſam margaritam Evangelium, impendit in vitrum theſaurum cogitationum. Vitrum lex erat, aliquando uti vitrea, eſtò ſplendens, defectura. Negotiabatur Paulus, ſed perperàm : quæ lucra futura apparebant detrimenta : igitur in Evangelio reſpuebat aurum, & emebat in lege ruſticus plumbum. Ignorans fecit. Liquet. Finis inſtitoris lucrum eſt: ægrè quidem fertur & permoleſtè, omnes ubi lucrantur, iacturam facere.

Fatuus temporalium negotiator.

Unde fatuus?

Quicquid Paulo zelo legis, hominibus contingit ſtudio cupiditatis. Æterna deſpiciunt, terrena quærunt ; ſed ignoranter agunt : etenim ſi amittunt æterna, quæ nec dari poſſunt ab hominibus, nec auferri, temporalium bonorum copiam ſectantes, vel inopiam metuentes inter ſortis eventus ; hac in negotiatione arbitror fatuos eſſe iudicandos. Ni ineptirent, minimè in detrimentum præſtinarent vitrum, proculcantes aurum : quandoquidem in regno cœlorum aurum calcatur ut vitrum.

Apocal. 21. 21.

13 Structura Civitatis novæ Ieruſalem pulcherrimè à Ioanne deſcribitur. Univerſa mirabilia, ſed mirabilior platea. *Platea Civitatis* (inquit) *aurum mundum tanquàm vitrum.* Platea, ideſt, pavimentum, ut obſervat Cornel. Alapide hic. At cur in pavimento aurum, & ubi illius præſignatur pretioſitas, vitri exponitur delicata fragilitas? Antiquitùs vitrum æſtimabilius, ut patet ex Iobo ubi ſuprà, dicente : *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum* : & propter artem, quia flexibile factum ; ſicut ait Plinius *lib. 36. cap. 26.* & propter ſingularitatem, quia novum ; ut conſtat ex Marbodæo de *Lapill.* Vel denique quia præſtabat pretioſus ſplendor fragilis vitri, cum lapilli forſitàm eſſent incogniti aviditati. Inventa eſt ad perniciem gemmarum pretioſitas, & viluit quod inter opes ſtatuebat Antiquitas. Sit ergo. Cæterùm ſi vitrum vile, aurum verò præſtabile ; qua conditione vitro confertur pretioſitas auri in Ieruſalem cœleſti ? Quia cœleſtis. Orbis ſtudio contraria ſignat, pretioſa futilia: igitur in mundo vitrum æſtimatur ut aurum: in cœlo aurum peſſundatur ut vitrum.

Vitrum olim pretioſum.

Plin.

Marb.

Quod aurum in mundo, vitrum in cœlo.

Patet, quid proderunt temporalia bona, ac eorum vaniſsima ſtudia. Divitijs divitiæ, opes comparandæ ſunt opibus ; igitur terrena conferenda ſunt cœleſtibus. Detegetur ſanè in ſplendore vanido falſitas, ſi æquiparatur pretioſitati pretioſitas ; in terris equidem quod adoratur ut aurum, in cœlis iurè deſpicitur quaſi vitrum. Haud alia de cauſa pavimentum civitatis auro ſternitur. Hìc ruderibus, ibi auro munitur : idem ibi utique auri pretium, ac hominibus lapidum : etenim aurum quod in mundo noxiè colitur, in cœlo poſitum ſicut terra calcatur.

Et in pavimento, ut conculcetur.

14 Non in tectis ac laquearibus fulget, ſed in platea. Non ſuprà, ſed infrà. Ut evertatur mundi, fabrica invertitur cœli: igitur aurum non ſupra quaſi colatur, ſed ſub pedibus hominum, ut conculcetur. Mundi fabrica ut fortuna, vitrea eſt, & eius gloria: conflat homo ſtatuam auream, dum cogitat vitream ? Secùs. Ictu mortis notum fit pretium. Pretioſitas nulla eſt. Dicitur negotiatoribus ſtolidis, quid eſt hoc ? Cur igitur ? Accedunt, ut emant in cœlo regnum ; & aurum apparet vitrum. Iacturam faciunt mercis. Detrimenta apparent in lucris. Serò dicent : *Ergo erravimus*: igitur inſenſati viventes vanis ſtudijs ; ſcient tanquàm vitrum deſpici in cœlo, quod tanquàm pretioſum ſitiebatur in mundo.

Cur in cœlo eius nulla pretioſitas?

Sap. 5.6.

Verſ. 2.

Cur Ieruſalem cœleſtis dicitur nova civitas?

Meritò igitur Ieruſalem cœleſtis plauditur nova civitas. *Vidi civitatem ſanctam Ieruſalem novam.* In nova civitate novum aliquod inſpiciendum. Ubi aurum teritur, quid non novum ? Ergo hominibus ſpectaculum novum ſingulariter exhibetur, dum civitas nova, & in cœlo nova terra deſcribitur ; in qua aurum tanquàm vitrum habetur ſub pedibus, quod in mundo habetur ſæpe præ manibus. Ideo ſubdit Ioannes *tanquam vitrum perlucidum* : ideſt ſpeculum. Appoſitè. In cœlo contemplandum quaſi in ſpeculo, quicquid æſtimationis latet in auro. Calcari debent quæque pretioſa ſicut in cœlo & in terra : & cœlum vocatur perlucidum ſpeculum, quia ibi videtur an ſit aurum, vel vitrum.

Ibid. v. 21.

Iudic. 18. 24.

Deus ſolus omnia.

15 Queſtus clamitantis Michæ conſidera. Cauſam illorum latronibus inquirentibus, reſpondit : *Deos meos tuliſtis ::: & omnia quæ habeo, & dicitis, quid tibi eſt*: Quid erit? Habes. Suppellectilium pretioſitas ſine Deo miſeranda paupertas. *Deos meos tuliſtis*, & omnia deſiderabilia, quia Deus ſolus, per quem omnia: ſi Deum quem colo fertis, omnia tuliſtis: igitur ſine Deo, vel omnia nihilo. Deus propitiatur hoſtijs, placatur ſacrificijs, & quem meum habebam, ſeſe levi ſocordia ſubtraxit, dum animus ſopore pauliſper quievit. Surrexi & queror de abſentia, qua amittitur gratia. Nullum etenim in terris acrius tormentum, quàm ammittere gratis tantum auſpicium. Quid enim omnia cum Deitatis abſentia?

Quàm grave malum Deitatis abſentia!

Dicit verè non inverſo verborum ordine, ſed premente pectus dolorum acerbitate: *Deos meos tuliſtis, & omnia quæ habeo.* Parciùs iſta : *Habeo, & tuliſtis*? Quomodò habens? Deus eſt raptus, non ſuppellex. Aurum & argentum tibi eſt: fateris dum dicis, *Habeo*: qua ergo lege in rapina aſſeris ablata omnia? Haud indiſcretè conſiderat opes, ſed fallaces ſimul & cœleſtes : Deum & temporalia quæ habet bona, in huiuſmodi rapina : ac inter auri copiam, cunctorum abundantiam, non habet habens opulentas divitias : igitur ſi opes conſtituebant illum largiter locupletem; ſine Deo dimiſerunt inopem in divitijs mendicantem. Omnia igitur quæ habet teſtatur ablata ; quia nihil ſunt præ cœlo terrena bona. Habet & non habet, quoniam ſolummodò mundo. Haud quereretur, ſi haberet habendo. Æquiparetur ergo aurum & aurum; & apparebunt auguſtiora nihil eſſe verſùs Deum.

Qui cœleſtia non habet, vel dives eget.

*** *** ***

DIDASCALIA IX.

Deficit in Dei obſequio, qui non proficit.

1 NOvarini aurea ſententia in *Umbra Virgin.* Excurſ. 115. *num.* 1078. intendens perfectionem eorum, qui ſunt vocati de tenebris in admirabile lumen. Eadem faciemus quæ cæteri ? Nihil inter nos & ſæculares intererit ? Plurimum. Vide Senecam *Epiſt.* 5. O Monachi!

Novar.

Senec.

Eſte precor memores, qua ſitis ſtirpe creati.

Ovid.

Appoſitiùs dicam, quàm ad Thebanos Pentheus apud Ovidium *lib.* 3. *Metamorph. Fab.* 7. Aqua immota putreſcit. Horologium ſine motu prorsùm inutile. Cœlum emblema Monachorum eſt : non quieſcit. Perperàm ſimiles cœlo otiosè ſtando. Menſura motus & quietis Monachi à cœlis debet meritò ſumi. Eſt & Empyrium, & Primum mobile. Hoc inſigne vitæ, movet enim & movetur. Illud ſymbolum mortis à qua vita, ſtat & quieſcit: ac cœlis his, ſeu orbibus confertur ordo Monaſticus, inter Eccleſiæ ſtatus adamas lucidus; quippe uſque dum quieſcat, præciſo crine fatali, Monachus eſſe debet ut primum mobile. Ni velis cœlorum & Monachorum contentionem fieri, ut aptè progreſſus reſponderent ſtatui : quoniam non motus utcunque motus Monachorum, ſed velociſsimus ſphærarum cœleſtium.

Horologium Monachi ſymbolũ.

Etiã cœlum.

Sic expers operum & ſanctæ ſpeculatio praxis
Nil, præter Monachi nomen inane, refert.

Alardus Gazeus.

Currite (ait N. Patriarcha & Legislator glorioſus in *Prolog. S. Regulæ*) *dum lumen habetis.* Aſſertor N. Dominus Ieſus duntaxat: *Ambulate, dum lucem habetis.* Diſcrimen patet in greſsibus, ſicut in vocibus. Ad quid igitur ? Chriſtus inſtruit univerſos, Benedictus verò Monachos. Aliquid & magnum inter nos & ſæculum interfuturum : currere enim monemur, ſæcularibus gradientibus; quia non ſat Monachis, quod ſufficit ſæcularibus.

S. Ben.

Ioann. 12. 35.

2 Pedes Cherubim in Ezechielis curru, *quaſi planta pedis vituli.* Septuaginta Interpr. *Pedes eorum pedes pennati.* Diſsimilis omninò deſcriptio in huiuſmodi ſpecioſæ Congregationis ſpeculo. Planta vituli cunctabunda, celerrimi curſus ſunt volatilia pennata : & pennati exponuntur Monachis pedes vituli, dum colla ſummitunt Religionis iugo levi: quippequàm non ſufficit communis greſſus, ubi intereſſe debet pennarum curſus. *Pedes eorum pedes recti.* Et dicuntur *pennati* ; quia ni pennati, non recti. *Ubi erat impetus ſpiritus,*

Ezech. 1. 7.

Sept. Interpr.

Greſſus Monachorum volatus.

Verſ. 12 *tus , illuc gradiebantur. Gradiebantur.* Gradientibus ſecundùm ſpiritum non ſufficiunt in lege pedes vel recti ? Addi debent in conſilijs pedes pennati. Volare expedit. Gradus etiam grallatorius in Monachis teſtudineus. Congruum eſt igitur horum pedes pennis ornari ; dum alijs ſatis pedes quaſi planta pedis vituli. Vide alio acumine *Tautolg.*4. *Didaſc.* 19.*num.*4.

Planta vituli ſufficit commorantibus in terra : elevatis à terra per ſtatuta non ſufficit. Diſsimiles non vulgus ſciat. Currit Chriſtus. Ergo in odorem unguentorum curramus: nam quid proderit Chriſtum ſequi , ſi non contingat & conſequi? Sic currite, ut comprehendatis. Mercurij imitanda ſimulachra ; ſiquidem talaria pedibus imponenda. Nondum in auge ſumus. Grandis nobis reſtat via , & virtus nonnunquàm petit ardua. Unde Cicero lib.6. *Epiſt.* ad *Lept.* ait:

Volandum, dũ virtus habet locum.

Virtuti contra ſudorem numina Divùm
Cicer. *Oppoſuere, viãque aſpram, longãque dederunt.*

Cauſam aſsignat Tragicus in *Medea* , *Act.* 2.v.160.

Senec. *Nunquàm poteſt non eſſe virtuti locus,*
Tunc eſt probanda , ſi locum virtus habet.

Quid Patres Catholici, ſi ita Ethnici? *O Monache!* (ait Bernardus *Epiſt.*253.) *Non vis proficere ? Non. Non vis deficere ? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi vivere , inquis , & manere in quo perveni : nec peior fieri patior , nec melior cupio.* Impoſsibile ambitur , ſiquidem non datur medium. [Bernard]

Sicut ſagittæ in manu potentis , ita filij excuſſorum, ait Regius Pſaltes. Ideſt, *piorum*, infit Genebrardus : *Ita filij Apoſtolorum*, ſubdit Gloſſa Ordinar. Verè filij Apoſtolorum , & piorum Parentum Monachi : dicunturque ſagittæ potentis excuſſæ; quoniam in vitæ curſu aut aſcendere, aut deſcendere neceſſe : ſagitta igitur excuſſa , aut aſcendit ſursùm , aut deſcendit deorsùm. Non eſt medium. Terra antequàm ornaretur arboribus, herbis , plantis, floribus , & arbuſtis , *inculta* ſolummodò & *vacua erat* : & vocatur *incondita* , quia ſine debito naturali cultu. Terra ſic , Adamum & Evam, eorumque filios, ut vidimus *Didaſc.*5.*n.*3. præſignabat. Erat quaſi non eſſet , cùm non proficeret. Non proficiunt homines , ergo deficient ſtantes : ſiquidem in ſtatu profectionis, & perfectionis , ſi ad altiora non aſcendunt, inutiles fiunt.

Pſalm. 126 4. *Monachorum emblema ſagitta emiſſa.* Geneſ. 1.2.

3 Statum hunccine , & ſtatus perfectionem , Magiſter cœleſtis miris verbis expreſsit diſcipulis. *Cum feceritis* (ait) *omnia , quæ præcepta ſunt vobis , dicite : Servi inutiles ſumus : quæ debuimus facere fecimus.* An protulit ad cænodoxiæ expulſionem, & philautiæ examen , ut non ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis ? Amplius Sacramentum intervenit verbis : & perſcrutandum, quo pacto Apoſtoli ſervi inutiles , præcepta ſervantes ? Inutilis non operatur , nec qui non ſervit, ſervus dici poteſt. Si dignati à Chriſto nota ſervorum; qua via ſervitus , ſervitus inutilium ? Servus inutilis , non eſt ſervus. Ergo nullus. Ita. Non ad omnes , ſed duntaxat ad Apoſtolos dirigit verba. *Sic & vos* , ait. In lege & præcepta ſunt , & conſilia. In illis, quod præcipitur impletur, in his verò plus quàm præcipitur : inutiliſque vocatur ſervorum ſervitus; ſi præcepta fecerint, & non amplius.

Luc. 17. 10. *Servus inutilis non eſt ſervus.*

Servi inutiles. Utiles ſunt , ſi plus agunt. Servi , dum præcepta cuſtodiunt. Apoſtolis congruebat & manere præceptis in dilectione, & conſilijs in charitate proficere : præceptaque cuſtodientes , licet ſerviant , vocantur inutiles ; quippe quaſi nihilum agunt , ubi ad altiora in ſtatu perfectionis non proficiſcuntur. Arridet Alapide hìc. *Multa opera noſtra infecta ſunt.* Opera , & infecta , ſunt contraria ; imò impoſsibilia : & infecta dicuntur quæcunque fecerint ; quia plus omiſſo , quaſi nihil facerent. *Servi inutiles ſumus.* Quare? *Quod debuimus facere fecimus.* Fecit ſervus quod debuit , non quod potuit. Supererogationem omiſit: nulluſque dicitur, quia inutilis deficit; & dum deficit, nil agit. *Servi inutiles.* Nihil peculiare, nihil inſigne, eximium , ac illuſtre in præceptis traditis ſervi faciunt, ſi ſolummodò leges & mandata cuſtodiunt. Singulares in obſequio Domini debent eſſe , qui conſtituti in nobiliore ſingulari dignitate: quid ergo eximium, ſi ſunt eximij ſicut cæteri hominum? Haud facul eminet , qui obſequijs munus creditum æquat , ſed qui ſuperat. Nemo illuſtris , niſi per illuſtria. Minimè volat, qui ubique reptat: & indignè ſubiacet, ni tanquam ſtatus præſtet. Servit , ſed non ſervit, ut par eſt. Remunerabitur cuſtodia legum , ſed non reſpondebit muneri perfectionum: ſiquidem haud communi officio adimplet miniſterium , qui ſignanter ſequitur inſtitutum Apoſtolicum.

Quomodo inutilis, agendo? Alapid. Ibid. *Quænam opera infecta?* *Non magnus Monachus, niſi per magna.*

4 Cauſa iſthuius tepiditatis eſt fiducia obinanis vocationis. In via ſecuri gloriamur , & alacriter morimur exultantes in via: neſcienteſque in portu periculum eſſe ; ſine præda dividimus ſpolia. Fœdum eſt manſiſſe diu, vacuumque redijſſe. Non gloriemur procellas ſæculi fugiſſe felices, ſi refugimus ad littus tandem accedere. In via ſumus , ad patriam tendimus. In crepidine multi perierunt, & deſcenderunt quaſi lapis in profundum. An quia Regulæ tabula in clauſtra enatavi-

Inanis fiducia genitrix imperfectionum.

mus

mus ; à mari abſumus , ubi reptilia , quorum non eſt numerus ? Latet anguis , & vivit igniculus. Peregrinamur in hoc ſæculo, quod diverſorium , & non habitaculum. Si detinemur , ſanè deſipimus. Manſionem facimus diverſiorum in hoc ſæculo ; & Ieſu non eſt locus in diverſorio. Quid hìc ſtamus ? Non ſumus hoſpites , & advenæ ? Curſum conſummavimus ? Agonem perfecimus ? Quid agimus ? O Monache ! Ad quid veniſti ? Perfectus es ? *Perfectus* (ait Bernardus ubi ſupr.) *non habet quò proficiat:* & in anima , licet quotidie plus , adhuc virtuti locus eſt. Imperfectus? Aſcende , moras rumpe. Eia age : perfectionem ſequi debes , ut conſequaris. *Cras, poſt, in perfecta ætate, in ſenectute*, inimici vigilantis ſunt illecebræ : & nullæ in ſtatu Religioſo nocentiores ; quàm ſic ſtare , & vivere ſic ſtando , dum inſtat in Monaſterio perfectio.

Bernard *Non eſt fiducia, ſed fallacia.*

5. Transfigurato Domino , Moyſes & Elias viſi ſunt in maieſtate ſplendoris , exceſſum , quem completurus erat in Ieruſalem, loquentes. Non deſcribitur maieſtas principis. Quid ergo? Fulget in ſervis. Petrus illo in articulo , & qui cum illo erant gravati erant ſomno. O infelicitas culminis ! O pax obſequentis cordis ! Exceſſus patet : igitur ſubditi deſcribuntur dormientes, & vigilant ſuperiores. Mons rutilabat Solis Iuſtitiæ uberi claritate, & veſtis niveo candore. Inhabitavit igitur gloria in terra noſtra , rupta animæ radijs conſtituta clauſura : itaque perfuncto munere , ac diſcedentibus Elia & Moyſe, dixit Petrus : *Præceptor , bonum eſt nos hìc eſſe.* Sed ſubdit Lucas : *Neſciens quid diceret.* Sæpeſæpius ſubita & inopinata iubilatio cordis labitur in deliquium mentis. Votum partum verba confundit, voces invertit: nec rationis compos iudicatur avens , ni deliret. *Neſciens?* Solicitare iuſtorum optabilem ſocietatem, gloriæ continuationem , admirabile lumen, iuſtorum contubernium , Chriſti glorioſi ſplendentis conſortium , neſcientia ? Et ſumma. Obtinetur gloria labore , non quiete: meritis , non votis : iugi operatione , non ſuperſeſsione inani : & dicitur neſcientia votum de ſpectabili gloria ; quoniam ſumma in ſtatu Apoſtolico ignorantia cordis eſt, velle conſequi gloriam, quia bonum eſt, & quia vult.

Ut ſecurè dormiant ſubditi, vigilent ſuperiores. Luc. 9. 33. *Ignorantia ſtatus, ſumma.*

6 Poſt tot labores , quos pertulit patientia Magiſtri, accedit etiam impatientia Petri. Loquitur ille de exceſſu crucis , quo patietur uſque ad deliquium ſanguinis. Plus pro hominibus appetit , dum plura tormenta bibit. Hydropici amoris eſt ſitibunda ſitis, & cordis ignem halantis. Plus optat , dum habet plus: Petri ergo neſcientia eſt , fidere ad gloriam frigidis & frivolis exercitijs, quaſi virtutibus; dum Magiſter pro illo ſitit exceſsibus. *Bonum eſt nos hìc eſſe.* Neſcit qui dicit. Altiora petenda , ardua ſubeunda : & licet ſit bonum hìc eſſe ; non eſt bonum eſſe ſic. Tutus locus eſt , non ut quieſcat ; ſed ut qui ſtat , videat ne cadat. Sequitur iactura propoſitum ab ignorantia: igitur neſcientia iacturæ eſt, ſic ad ſublimia vocari, & ſuperſedere ſic. *Præceptor, bonum eſt nos hìc eſſe.* Modò dicitur Præceptor , dum contraria & glorioſus operatur? Ibi eſſe , non præcipit , imò in oppoſita ruit: ſed Petrus Magiſtrum ſignat, dum gloriam ſine meritis optat; ut ſciente Magiſtro, haberet excuſationem imperfectio.

Altiora petenda. Ibid.

7 Tabernacula ſtruenda proponit , & *Bonum eſt nos hìc eſſe.* Neſciens dicit. Sanè neſcit. Non enim eriguntur tabernacula ad manendum , ſed ad tranſeundum. Neſcientia profectò iudicabitur , conſtituere in tabernaculis civitatem habitationis. Nota opportunitatem, ſeu ſtudium Petri , dum votum coràm expoſuit. Non ubi aderant Moyſes , & Elias, ſed cùm *diſcederent* inde, dixit : *Bonum eſt nos hìc eſſe.* Tabernacula ſingulis affectuosè & officiosè conſtruere tentat ; at poſt utriuſque diſceſſum verba pronunciat. Quid? Amplius interdum cohibet miniſtrorum ſupercilium, quàm præſentia maieſtatum. Uterque in lege exactiſsimè munus obiverat , zelo & amore rutilaverat : gloria Dei totis viribus ab illis quæſita, & Petrus ſciebat : ac loquitur de inordinato voto, cum diſceſsiſſent à Chriſto ; quippequàm in ſtatu Apoſtolico erubuit promere , quod diſſonum iudicandum adhuc in lege. Erubuit : meritò quidem Præceptorem ſequi , incumbebat diſcipulo , & erubuit videns miniſtros ſic in lege laborare ; & Chriſto præſente ſic diſcipulos requieſcere.

Hic non habemus manentem civitatem. *Fervidi ſpiritus terrens ignavos.* *Pudet quieſcere coram laborantibus.*

8 Uſuvenit multoties in clauſtro , quod neſcienti Petro. In ſæculi mari dormiebat anima ſicut oryx illaqueatus. Procellis crebris excutitur ſomnus. Aſcendit navim Religionis, quæ Noëmi Arca; ex qua videntur univerſa peritura. Ex damno proximo ſapit animus. Evigilantes è dulci veterno , Chriſtum in Religionis monte videmus. Sed quid dicimus ? *Bonum eſt nos hìc eſſe.* Quid facimus? Donec tranſeamus , ſingulariter ſumus ? Nequaquàm: nec meliores eſſe cupimus , nec peiores. *Bonum eſt nos hìc eſſe.* Non eſt bonum, quia non benè : inſtat ire de virtute in virtutem , & perfectionis tranſvolare montem : & ſtamus ſtando ; quia bonum eſt eſſe ſic in cellula & Monaſterio. Sic eſſe & nihil facere? Hæc eſt ſumma ignorantia , labi & neſcire.

Eat Monachus de virtute in virtutẽ.

9 *Quid hìc ſtatis tota die otioſi* ? Dixit operarijs Paterfamilias. *Otioſi* ? Nec otioſos ne- Matth. 20.6.

neque in foro invenit ſicut hora tertia, ſed ſtantes: & otioſos appellat ſic manentes; quia ſtare ſtando idem eſt, ac eſſe otioſos & vagabundos publico in foro. *Hi noviſsimi Apoſtoli ſunt*, ut dicit Hieronymus cum alijs hic; & Chriſtus profert: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Perpende, *Hic.* Ubi? In Chriſti ſocietate, in conſortio præceptoris, in ſchola virtutis. Alibi excuſarentur: hic verò excuſationem non habent de peccato ſuo: ſiquidem magiſtrum vident vocantem, & labori non parcentem. Vocat ad opus, & ſtant operarij comploſis manibus, & compreſsis: in aula virtutis, ubi ſemper plus & plus; dedecus eſt ſic ſtare, & potiùs hic. Ad operandum ſtabant, ſed ſtabant ſine operatione. Stantes exhibebant ſemetipſos ſicut Dei miniſtros: ſine operatione prorsùm otioſos. Votum ſine operatione fit futile: & ſic ſtando ad opus dicuntur otioſi, quia ſic erant cum Chriſto in Sacro Collegio, ſicut non vocati converſabantur in foro.

Hier. — *O[t]ioſitas eſt eſſe in Monaſterio, ſicut ſæculares in foro.* — *Verſ. 3*

10 Veritas ex contextu micat. Exit Pater familias circa horam tertiam, & videt *alios ſtantes in foro otioſos.* Notą, *Alios otioſos in foro.* Qui ſunt qui non in foro & otioſi; ut qui in foro ſunt dicantur alij? Ad noviſsimos relatio ducitur. Fallor? Minimè. Apoſtoli noviſsimi ſunt, qui una hora debent agere, quicquid alij tota die: qui ut conſequantur perfectionis cacumen, amplioribus exercitijs ſequi debent perfectionem: & alij dicuntur otioſi in ſchola virtutis, dum non ſtudent virtutum creditarum nitoris; quia ſicut illi otioſi in foro, nihil agendo; ita & iſti vel vocati ſic ſtando.

Qui fugere intēdit notam otioſitatis, ni torè æmuletur virtutis.

Vel ad primos verte, nec impropriè. Verùm quare? Ne otioſi in vinea, primo mane conducti? Ita. Aliter noviſsimi (quòd illi) haud feciſſent una hora: & dicuntur otioſi etiam qui erant in vinea; quippe ſtabant ibi ſtando, ſicut illi qui ſtabant otioſi in foro. *Nemo nos conduxit*, reſponderunt noviſsimi. Cauſa frigida. *Hic* dicitur. Hic inveniuntur cum Chriſto, non in ſæculo. Ideo obiurgantur. *Quid hic ſtatis?* Vel hic non eſſe, vel laborare. Operarij eſtis & noviſsimi. Redimere tempus neceſſe eſt. Haud alia de cauſa hic. Faciat hic virtus, quod extra mercede conducti ad opus. Merces veſtra copioſa in cœlis: reſpondeat ergo mercedi labor conſecutionis. *Quid hic ſtatis?* Si ſtatis, quomodo hic?

Quomodò operarius & otioſus? — *Verſ. 7.* — *Mercedi copioſæ copia reſpondet laboris.*

11 Hos ergo deſides, & pigros in vocatione qua vocati, taxat Iudas Zelotes definitione. *Hi ſunt* (ait) *qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.* Aptè ſpiritus negatur his, qui ſegregant ſemetipſos: igitur in cœtu ubi ſequenda communitas; non benè cohærent ſpiritus & ſingularitas. Spiritus ubi vult ſpirat, ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat. Singularitas ſpecie religionis ita ſpirat ubi vult, ſed ſcitur quò vadit, & unde venit: procedit à vanitate, in arrogantiam ruit: igitur philautico ſtudio videtur & alios deſpici, & ſibi blandiri. Sanè oſtentantur quaſi caſtigati, & non mortificati; quaſi ignoti, ſed cogniti; quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes; quaſi veraces, & ſemper ſunt ſeductores. Singularitas patiens eſt, benigna eſt, ſed quærit quæ ſua ſunt. Vide *Tautolog. 6. Didaſc. 7.* Ideo affecti huiuſmodi toxico, ſegregant ſemetipſos: ſiquidem licet exterminent facies ſuas, ut appareant & non amplius, & luceat lucerna ſine oleo, coràm hominibus; ſecundùm deſideria ambulant in impietatibus. Ambulant, *ſi ſegregant ſemetipſos.* Haud placet iugum ducere, dum removentur à grege. *Segregant.* Alij apud Lorinum & Alapide, *Exterminant ſemetipſos.* Utique. Extremum malum. Nullum altiùs excuditur in anima; quàm ſingularitas & voluntas propria.

Iud. v. 19. — *Singularitas tinea ſtatus perfectionis.* — *Voluntas propria in Monaſterio extremum malum.*

12 *Animales* dicuntur. At tantùm animales? Acceperunt enim animam rationis capacem, ſed numquàm operantur iuxta rationem: & mirum non eſt, quod negetur eſſentia, ubi non patet natura. De hominibus Iudas loquitur, & vocat homines ſolummodò animales. Animal profectò includitur in hominis conſtitutione, & ſimul cum ratione ſigillatur in ſpicie. Homo diſcretè definitur differentia rationis: cur igitur modò exprimitur charactere communi animalitatis? Signat Iudas homines rationis vacuos, qui voluptuosè ſegregant ſemetipſos, converſantes in clauſtro, uti otiarentur in ſæculo. Animales, ſæculares ſunt: rationales, Religioſi. Ut progrediantur ultrà, ineſt his rationis & ſtatus differentia, quia opera animalis ſunt communia: & dicuntur tantùm animales; quippequàm operatione conveniunt, in his quibus feliciter differunt. Animal & ſentit, & vivit, ſed ea quæ ſunt ſpiritus minimè percipit. Ratio percipit, quia examinatur ſpiritaliter: ac animalia dicuntur iurè deſides Monachi, licet floreant rationalitate; ſiquidem quæcunque naturaliter tanquàm muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Corrumpitur ratio, dum abdicitur differentiæ perfectio; ac differentia hominum patet communitas animalium; quoniam in propudium perfectionis, in exterminium virtutis, haud aliter vivunt in Monaſterio, ac Sæculares in habitu Religioſo.

Lamentabile eſſe ſæculares in habitu Religioſo.

13 In monte Domini huiuſmodi ſtoliditas? Hem! Et plorat ubi ſupra Bernardus, & amentes revocat. Videas ſæcularium ſpeculum fieri, & fieri ſæculares. Glorioſa boat comitąs, affectio, & aliquando profana profuſio, ſcurrilitas, vaniloquium, & aſſentatio. Videas (ſi tamen lachrymis videre quiveris) Monachos prævidentes otiosè futura, diſponentes præſentia, in virtutibus inſenſatos, in futilibus argutos, pulchellos, ſciolos, induſtria faſtidioſos, tenerrimos, delicatulos, etiam ineptias ſuperiorum celebrantes, nænias manibus plaudentes, ſubridentes ad quælibet vanitatis, prudentiores filijs lucis. Supervacua alta mente reponuntur in corde, & cuſtodiuntur ſuperiori clave: ſed quò minùs ſæculares ſe credunt, eò miſerrimè deteriores fiunt. In choro balbi, in foro facundi, in Monaſterio muta animantia, & extra laxantur ora. Cur ita?

Bernard — *Studia Monachorum ſæcularia qualia?*

14 *Animales, ſpiritum non habentes.* ſubdit Apoſtolus. Spiritum habent, & non habent, quia ad perfectionem quaſi non haberent. Secundùm deſideria cordis, haudquaquàm iuxta propoſitum mentis fatiſcunt, & divagantur. Si à fructibus cognoſcuntur; producuntur animalia opera citra rationem, quaſi ſpiritum non haberent vivificantem. Habent faciem quaſi hominis, ſed tantùm faciem. Spiritus eſt qui vivificat, caro autem non prodeſt quicquam. Animales utique ſunt. Animalia vivunt & morte moriuntur. Rationales habent ultrà ubi vivant, & unde vivant. Hoc intuitu homines ſegregant ſemetipſos à ſæculo, & in illo alienantur à mundo. Spiritum profectò non habent, quia fidem ſervantes cui crucifixi ſunt mundo; animales degunt tota vita in Monaſterio. Arbores ſunt autumnales, bis emortuæ. Emortuæ, quia fructum non operantur: bis, quippe in vita moriuntur. Fructum centeſimum ſicut genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis allaturæ; & apparent bis emortuę. Proh dolor! Mortuæ? Utiquè: ſiquidem in Monachis mortis ſignum, ad perfectionem ultrà non poſſe movere greſſum. Haccine gnome ſcitur quo ſenſu Paulus dicit 2. *Tim. 4. Tempus reſolutionis meæ inſtat*; quia curſum conſummaverat. & 1. *Machab.* 1. de Alexandro Magno, *Cognovit, quia moreretur.* De Moyſe *Deuter.* cap. 32. *Aſcende in montem :::: & morere.* Quæ teſtimonia donec opportuniore loco cadant, quis lìberè perſcrutari: ſiquidem Nos illationem Thadæi deſideramus exponere.

Ubi ſupr. — *Non habitu Monachus.* — *Sed operibus.* — *Mortis ſpiritus ſignum, imperfectionem ultra nō poſſe movere greſſum.*

15 *Hi ſunt* (inſit) *qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes. Vos autem chariſsimi* (ſubdit) *ſuperædificantes voſmetipſos.* Loquitur Zelotes de hominibus perfectioris ſtatus, ut obſervat Lorinus; ſed perpende. Qui ſpiritum non habent; ſegregant, ſeu exterminant, aut deſtruunt ſemetipſos. *Vos autem* qui ſpiritum habetis, quid? *Superædificantes voſmetipſos.* Non claret contrapoſitio adæquata. Si illi ſeſe deſtruunt, quia non habent ſpiritum; qui habuerint, ædificentur: cur igitur imponitur non ædificatio, ſed ſuperædificatio? Quia in ſtatu perfectionis debet rutilare perfectio: & nullo modo claret, niſi ſit ſuper. Ædificatio fit legibus impletis in ſæcularibus: in Monachis, exercitijs additis legibus; & dicitur meditanter *ſuperædificentur*: quoniam ni ſuper, nequaquàm ædificantur. Quo faſtigium conſtruendæ fabricæ, quam molimur? Quò perventurum eſt cacumen ædificij?

Iudæ v. 20. — *Lorin.* — *Cur in Monachis perfectio dicitur ſuperædificatio?*

16 Dicat S. Doctor Doctorum, & Oraculum Dei Patriarcha N. Benedictus, omnium iuſtorum ſpiritu plenus. *Non velle* (ait cap. 4. *S. Regul. inſtrum.* 61.) *dici ſanctum, antequàm ſit.* Quid eſt hoc? Quando hæc erunt? Vel Ethnicus lib. 3. *Metamorph. Fabul.* 2. dicit:

S. Ben.

——————— *Scilicet ultima ſemper*
Expectanda dies homini eſt: dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Ovid.

Quo pacto poteſt velle ſanctus dici; ſi ignorat, an odio ſit dignus vel amore? Non quit ſanctus dici, antequam ſit: deſignavit ſanè mors: in morte non poteſt velle. Quid igitur commendat in huiuſmodi inſtructione? Semper ſursùm aſcendere. Nemo in monaſterio ſanctus, niſi perfectus: ſine anniſu in perfectionem, non erit ſanctus: & cavet Monachum ſanctum dici, antequàm ſit; ut comprobet perfectionem ipſa mors: ſiquidem ut perfectionis conſequatur cacumen, aſcendendum uſque ad mortem: Si præ tædio refugit, ſedebit in via. Si laſſus ſedet, ſedendo iacet. Proficiſcere, ut proficias. Surge, ne iaceas. Ne vita moriaris, ut in morte vivas. Hæc obiter, quia nobis de huiuſmodi inſtituto gravis & grandis ſermo *Tom. 5. Tautolog. 2.* ad illud *Pſalm.* 125. v. 6. *Euntes ibant.* Os meum patet ad vos, ò Monachi! Huiuſmodi tepor frigiditas eſt: ſignum infirmitatis; quia iacere in domo Domini paralyſis. Malè ergo iacendo torquebimur. Gradatim de virtute in virtutem aſcendendum eſt, ut videatur Deus Deorum in Sion. Surgite, eamus.

Ut eius conſequatur cacumen decertandū uſque ad mortem.

DIDASCALIA X.

Quod tegitur, maius creditur eſſe malum.

1 HAud mimicè, ut ſolet, loquitur M. V. Martialis *lib. 3. Epigram.* 42.

M. Val. Mart.

Teterrimum eſt, dum ſerpit per viſcera virus.
Sæpe contegitur oculis immedicabile vulnus.